



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena**

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,  
doctrina excutitur, scripta recensentur

**Origenes**

**Rothomagi, 1668**

Inhaltsverzeichnis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-25059**

I. Origenis patria, etas, parentes, II. nomen, III. cognometa, IV. institutio puerilis, indoles, V. praeceptores & studia. VI. Vtrum Ammonium audiverit. VII. An plures fuerint Origenes, & plures Adamanty. VIII. Leonide martyrium. IX. Origenes Grammaticam publice proficitur, Catechumenos instituit, Martyribus praesto est. X. Vtrum hoc tempore Caesaream Cappadociae voverit. XI. Grammatica docenda munus abdicat. XII. Pae eius exercitationes. Plurimi ex eius discipulis martyrium obeunt. XIII. Se ipse evirat.



Eufr. Hist. lib. 6. cap. 1.

**R**IGENES genere Aegyptius, Alexandriæ natus est anno Christi, ut videtur, centesimo octogesimo quinto, annum iam sextum imperante Commodò, nonum vero Christianam rempublicam administrante Eleuthero Papa, Triario Materno, M. Atilio Bradua COSS. Cursi enim decimum septimum ætatis annum egisse eum scribat Eusebius, quo tempore martyrium expetivit pater eius Leonides, anno nempe Severi decimo, plane ab eo, quem dixi, cardine, vitæ initium videtur duxisse. Biennio juniorem faciunt Fasti Siculi, alijque, & in annum qui fuit Clodio Crispino, & Papirio Aeliano COSS. ortum ejus conferunt. Eadem videtur Mariani Scoti ratio, nam in annum Christi 204 Leonide martyrium coniicit. Toto vero triennio recentiorum credidit Origenem Hermannus Contractus: nonnulli etiam quadriennio. Nos Eusebij sequimur. Pater illi fuit is, quem dixi, Leonides, omni virtutum genere insignis, & sacris disciplinis apprimè institutus, Episcopatu etiam, ut scribit Suidas, præditus. Matris nomen silentio Auctores præferunt.

Al. 17. 34  
18. 24  
Rom. 16. 1.  
14. 16.  
1. 66. 9.

II. Origenes appellatus est: cuius nominis etymon à multis disquisitionis est. Theophanes Cerameus Hom. 2. 2. *ὁ ἐπὶ Ἰουλιῶν τῆς ὀρχῆς ἐπιμαχὶς* appellat: sed non tam, ut videtur, ad indicandam nominis originem, quam ad suggillandum Origenem quæsitæ ex vocis sono occasione. Erasmus, Caninius, Hoefschelius, & Schottus, viri Græcis literis luculenter exculti, nonnullique præterea, *Κεφισίδου* dictum putant, quasi *Κεφῆων τοῦ Θεοῦ*, *ἐπίφυλῶν*, *ἐκ τῆς Ἰουλιῆος*. Iohannes Tarinus, & alij, ita eum existimant appellatum, quasi *ἄραρον*, seu *ἀρεῖον*, *ἐπιμαχὶς Θεοῦ*, mature genitum. Inepte Badius, qui dictum fingit ab *ὄραρον*, quod idem est ac *ὄραρον*. Ego ab Oro, qui Aegyptiorum Deus est, nomen illud profuxisse existimo, quemadmodum à Iove Diogenem; à Mercurio, Hermogenem. Neque vero miretur quisquam Christianos parentes ab Ethnicorum Deo derivatam appellationem filio indidisse; id enim tum erat usu pervagatum, nec eiusmodi nomina abiiciebant Catechumeni cum Christi fidem amplectebantur; atque hinc Dionysius ille Arecopagita, Apollos Alexandrinus, Phœbe, Hermas, Hermes, Nereus, & Diotrophes, Luca, Paulo, & Iohanni inter Christianos commemorati; hinc Ammonij, Serapiones, Athenagora, Apollinarij, Demetrij, Ihsidori: quis enim, ait Tertullianus, *nominum reatu*? Quod autem obijci potest ab Oro Orogenem fuisse dicendum, non Origenem, de nihilo est; nam primum responderi potest sic pro *ὄραρον* *Mercurium* *ἀρεῖον* fuisse dictum; sic Cephisodoro nomen fuisse cuidam Aristotelis adversario, qui Cephisodorum fuerat appellandus; usu quoque receptissimum esse apud Latinos ita nomina conflare; sic Dionysopolitas appellasse Cicetonem, quos alij Dionopolitas; sic Demiphonem, & Clistiphonem à Comicis dictos, qui ab alijs Demophoon, & Clistiphon; sic Phœbigenam à Virgilio, qui Phœbigena dici debuisset. Et ut similem nominum coagmentationem profertre nullam possemus, quis accuratam Hellenismi mundiciem in Alexandrina requirat Dialecto, quæ à Mæcedonica profecta est, barbara ipsa primum & impura, & extra Græcarum censum numerata, tot deinde Gentium commercio inquinata, & ab Aegyptiis demum, inter quos confedit, distorta & corrupta. Inde fit ut Alexandrinorum loquelam tam sæpe capiant Critici antiqui, Phrynichus, Thomas Magister, & Hella lius Besantinos. Verum his omisis genuina responsio ex sequentibus facile extabit. Orus Aegyptiorum Deus is est Osiridis & Ihsidis filius, quem Apollinem esse, & Solem Veteres magno consensu tradiderunt. Orum seu Horu dictum existimavit Horus Apollo, quod horis præsit; Horas contra nomen ab eo traxisse, & quatuor anni tempestates à *ὄραρον* indidem dictas, & annum, & Græcoru annales, & eorum scriptores *ὄραρον*, tradunt Macrobij, & Cenforinus. Inepte Horus Apollo. *ἰσοῦ ἀδελφῶν αἰσθητικῶν*, & ἰσχυρῶν ἰσχυρῶν. in *ὄραρον* *ὄραρον*, inquit Pausanias: vere. Salmastius Orum nomen habere censet à veteris linguæ Aegyptiæ vocabulo *orog*, vel absque articulo, *orog* quod Regem sonat. Ita cetero quidem sæpe exponit Ibeno Cabar in Scala magna, quam edidit Kircherus. Sunt qui de-

Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 21. Cenforin. cap. 19. Pausan. in *ὄραρον* *ὄραρον*. in *ὄραρον*. in *ὄραρον*. Salmast. E. pag. 78.